



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Idea Theologiæ Moralis

Petrus <a Sancto Josepho>

Coloniæ, 1648

XII. De scandalo, quod etiam est vitium charitati oppositum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38935

peccatum ab aliis distinctum, quod probat, quia seditio quantum ad aliquid convenit cum bello, & rixa; & quantum ad aliquid, ab iis differt. Convenit, quia importat quandam contradictionem, differt verò, tum quia bellum, & rixa important actualem impugnationem, ad seditionem autem sufficit præparatio ad impugnationem actualem; tum quia bellum est contra extraneos hostes, quasi multitudinis ad multitudinem, rixa autem est unius ad unum, vel paucorum ad paucos: Seditio verò inter partes unius multitudinis inter se dissidentes. Et quia seditio opponitur speciali bono, nempe unitati, & paci multitudinis, ideo est speciale peccatum.

Articulo 2. docet, seditionem quia opponitur iustitiæ, & communi bono, esse ex genere suo peccatum mortale, & tantò gravius, quanto bonum commune, quod impugnatur per seditionem, est majus bono particulari, quod impugnatur per rixam. Notat autem peccatum seditionis primariò pertinere ad eos qui seditionem procurant. Secundo verò ad alios, qui eos sequuntur, perturbantes bonum commune.

CAPUT XII.

De scandalo, quod etiam est vitium charitati oppositum.

RESOLUTIO I. *Scandalum est dictum, vel factum minus rectum, præbens alteri occasionem ruinae.* Ita S. Doctor 2.2. quæst. 43. art. 1. quod probat, quia quod Græcè scandalū dicitur, nos offensionem, vel ruinam & impactiōnem pedis possumus dicere. Cōtingit enim quòd quandoq; obex ponitur alicui in via corporali, cui impingens disponitur ad ruinā, & talis obex vocatur scandalum. Et similiter in processu viæ spiritualis, contingit aliquē disponi ad ruinam spirituale per dictum, vel factum minus rectum alterius, quod scilicet, aut sit peccatū, aut habeat peccati similitudinem;

dinem; quare tale dictum, aut factum est propriè scandalum.

Nota 1. ex responsione ad 2. Nihil esse posse homini sufficientem causam peccati, nisi propriam voluntatem; & ideò dicta, vel facta alterius esse posse causam tantum imperfectam, seu occasionem spiritualis ruinae.

Nota 2. ex responsione ad 4. Dictum, vel factum alterius esse posse dupliciter alteri causam peccandi, nempe per se, & per accidens. Est causa per se, quando aliquis dicto, vel facto intendit alium ad peccandum inducere, vel etsi id non intendat, ipsum factum est tale, ut ex se sit inductivum ad peccatum, ut si quis publicè faciat actum malum, aut habentem speciem mali, & hoc vocatur scandalum activum. Per accidens verò, quando præter intentionem operantis, & conditionem operis, aliquis malè dispositus, ex huiusmodi opere inducitur ad peccandum, & hoc est scandalum passivum.

Unde colligit, quandoq; contingere esse simul scandalum activum in uno, & passivum in altero, pura est ad inductionem unius alius peccat, quandoque verò esse scandalum activum, sine passivo, nempe cum aliquis inducit alium ad peccandum, & ille non consentit. Quandoque verò esse scandalum passivum, sine activo, scilicet cum ille qui rectè agit, non dat occasionem ruinae, quam alter accipit.

RESOLUTIO II. *Scandalum tam activum, quam passivum est peccatum.* Ita docet S. Thomas artic. 2. Et quidem quòd scandalum passivum peccatū sit, probat, quia non dicitur quis scandalizari, nisi inquantum aliquo modo ruit spirituali ruina, quæ est peccatum. Quòd verò scandalum activum sit etiam peccatum, in eo qui scandalizat *ca ratione ostendit*, quia vel ipsum opus quod facit, est peccatum, vel si habet speciem peccati, dimittendum est semper propter proximitatem charitatem. Et sic qui non dimittit, contra charitatem agit.

Nota

Nota ex articulo 3. Scandalum passivum non posse esse speciale peccatum, quia ex dicto, vel facto alterius contingit aliquem ruere, secundum quodcunque genus peccati. Scandalum verò activum per accidens, seu præter intentionem agentis spectatum, non esse speciale peccatum; quia quod est per accidens, non constituit speciem. Spectatum autem per se, seu in quantum aliquis inordinato dicto, vel facto intendit alium trahere ad peccandum, sic ex intentione specialis finis sortiri rationem specialis peccati; quia finis dat speciem in moralibus. Unde scandalum, quia intendit speciale proximi nocumentum, opponitur correctioni fraternæ, in qua attenditur specialis nocumenti remotio.

In his verbis S. Thomæ unum est certum, & aliud de quo controvertitur. Certum est, scandalum activum directum & per se, quòd scilicet importat directam & formalem intentionem pertrahendi aliquem ad peccatum, ut est malum illius, esse peccatum speciale scandali, distinctum ab illis omnibus speciebus peccatorum; & formaliter oppositum correctioni fraternæ, qua tenemur cavere peccatum proximi, ut est malum illius. Ex quo sequitur, cum qui alteri directè suadet, ut committat adulterium, vel homicidium, non tantum esse reum adulterii, vel homicidii, sed etiam scandali; adeoque utrumque peccatum in confessione est declarandum.

Dubium est autem, an omne scandalum activum sit peccatum speciale, etiam si non sit causa ruinæ alterius, formali, & directa intentione, sed tantum indirectè & per accidens. Non pauci affirmant esse speciale peccatum, ita ut ille qui, verbi causa, foeminam sollicitat ad fornicationem, nihil aliud intendens quam cupiditatem explere, non tantum committat peccatum fornicationis, temperantiæ oppositum, sed etiam speciale & distinctum peccatum scandali, charitati seu correctioni fraternæ repugnans. Imò ille committit speciale peccatum scandali, qui per actum

aliquem aut malum, aut habentem speciem mali est occasio ruinæ proximi, si talem ruinam probabiliter potuit prævidere, etsi formaliter eam non intendat; quia nihilominus eam intendit interpretativè seu virtualiter. Unde ille etiam est reus duplicis peccati, nempe illius quod ab alio committitur, in quacunque sit materia, & scandali activi.

Oppositum est expresse ex mente S. Thomæ in verbis allatis, quem plerique sequuntur, & ratio est, quia ut scandalum sit speciale peccatum, debet habere speciale objectum, at quod non intendit ruinam proximi, ut malum illius est, non habet objectum speciale, sed generatim objecta omnium peccatorum, quæ illius occasione patrantur, ergo non est speciale peccatum. *Confirmatur*, nam ut scandalum sit speciale peccatum, debet opponi misericordiae, ergo cum misericordia, ut est specialis virtus distincta ab aliis, velit sublevare miseriam proximi, ut malum illius est, scandalum e contra ut sit speciale peccatum, debet velle ruinam proximi, ut malum illius est: sequela patet, quia peccatum speciale debet habere objectum formaliter oppositum objecto virtutis cui adversatur.

Dices 1. In aliis materiis sufficit intentio indirecta & virtualis, ut committatur speciale peccatum: ille enim committit peccatum furti, qui rapit aliena, non intentione formali nocendi proximo, sed commodandi sibi, &c. Similiter ergo in proposito, per voluntatem indirectam ruinæ alterius, committitur peccatum scandali. *Respondeo* non sequi, & ratio discriminis est, quia furtum formaliter opponitur speciali virtuti, nimirum iustitiæ, quæ vetat externam rei alienæ acceptionem, invito Domino, at voluntas indirecta ruinæ alterius non opponitur formaliter alicui speciali virtuti, ut ostensum est, quare non est speciale peccatum, sed reducitur ad omnia peccata, ad quæ quis inducitur.

Dices 2. Circumstantia scandali semper est declaranda

randa in confessione, sive directè intendas ruinam alterius, sive tantùm indirectè. Ergo scandalum est speciale peccatum. *Respondeo* admissio antecedenti, negandam esse consequentiam, quia non tantùm circumstantiæ speciem mutant, sed etiam notabiliter aggravantes in confessione sunt aperiendæ, ut dictum est in *Idea Theologiæ Sacramentalis lib. 3. cap. 3.*

RESOLUTIO III. *Scandalum tam activum quam passivum aliquando est tantum veniale, aliàs mortale.* De hoc agit S. THOMAS artic. 4. ubi docet 1. Scandalum passivum quandoque esse tantùm veniale, quasi habens impactationem tantùm sine ruina, ut dum quis ex inordinato dicto, vel factò alterius commovetur motu venialis peccati. *Docet 2.* quandoque esse peccatum mortale, quasi habens cum impactatione ruinam: puta cum aliquis ex inordinato dicto, vel factò alterius procedit usque ad peccatum mortale.

Docet 3. Scandalum activum, si sit per accidens, posse aliquando esse peccatum veniale, puta cum aliquis vel actum venialis peccati, vel actum qui non est peccatum, sed habet speciem mali, cum aliqua levi indiscretione committit: quandoque vero esse peccatum mortale, sive quia committit quis actum peccati mortalis, sive quia contemnit salutem proximi, ut si pro ea conservanda non prætermittat aliquis facere quod sibi libuerit.

Docet 4. Si scandalum activum sit per se, tunc esse peccatum mortale, sive quia intendat alium inducere ad peccatum mortale, sive ad peccatum veniale, per peccatum mortale. Esse verò peccatum veniale, si per peccatum veniale intendit proximum inducere ad peccandum venialiter.

Verum contra jam dicta occurrunt aliqua difficultates enodandæ, quarum prima est, an inducere directè ad veniale, sit veniale. Nonnulli respondent esse mortale, eo quod nocumentum illud longè majus est,

est, quam quodcunque damnum temporale. Hæc tamen ratio non convincit, quia ex ea sequeretur, etiã indirectè moventem ad peccatum veniale, peccare mortaliter, sicut ille peccat mortaliter, qui indirectè movet aliquem, ad inferendum alicui grave aliquod nocumentum temporale. Quare cum aliis dicendum, peccatum esse tantum veniale, directè impellere ad veniale: quia etsi damnum spirituale ex peccato veniali causatum, sit majus quovis damno temporali, cum sit in altiori ordine: sufficit quòd inter damna sui ordinis levissimum reputetur, & facile reparari possit.

Secunda difficultas est, an saltem sit peccatum mortale scandalì, directè impellere ad veniale, per peccatum mortale. S. Thomas affirmat, ut visum est. Alii tamen negant, quia gravitas scandalì sumi debet ex damno illato, non autem ex medio quo quis utitur ad illud inferendum; quia alioqui dicendum esset, eum peccare mortaliter non solum in genere homicidii, sed etiam in ratione furti, qui hominem interficit, ex intentione ei surripiendi aliquid exigui valoris.

Tertia difficultas est, an scandalum sit mortale, quando proximus indirectè scandalizatur per peccatum mortale. S. Doctor videtur simpliciter affirmare. Hoc tamen intelligendum puto, quando probabile est eos, qui vident peccatum mortale ab aliquo committi, hinc excitandos ad peccatum mortale perpetrandum. Imò sub tali circumstantia, scandalum ex se aliàs veniale, transit in mortale: ut si verbi causa, aliquis Prælati valde religiosus, & magni nominis verbum venialiter turpe proferat coram multis. Nò tamen esset scandalum mortale, committere coram aliis peccatum five veniale, five mortale, ex quo eorum ruina probabiliter non timeretur; ut si quis furaretur coram iis, qui eo exemplo nullo modo ad furtum sunt permovendi, vel qui ex opposito, ad furtandum aliunde parati erant.

RESOLUTIO IV. *Bona spiritualia propter pas-*
sum aliorum scandalum, aliquando sunt omittenda,
alias non.] HOC explicat S. Doctor art. 7. ubi docet 1.
 Non esse dimittenda ob scandalum aliorum, bona
 necessaria ad salutem, quæ sine peccato mortali
 omitti nequeunt: quia cum homo ex ordine chari-
 tatis, teneatur magis salutem suam diligere, quam
 alterius, non debet mortaliter peccare, ut caveat pec-
 catum alterius.

Docet 2. Bona spiritualia ad salutem minimè ne-
 cessaria, non esse prætermittenda propter scanda-
 lum Phariseorum, quod tunc habet locum quando
 aliqui ex malitia ejusmodi bona impedire volunt.
 Quando vero scandalum est pusillorum, seu procedens
 ex infirmitate, vel ignorantia, bona prædicta ef-
 fe occultanda, vel differenda, quouique reddita ra-
 tione hujusmodi scandalum cesset.

Nota 1. Certum esse, nunquam cessare obligatio-
 nem servandi præcepta negativa, cum homicidium,
 fornicatio & similes actus ex nulla causa honestari
 possint. *Dubium* est autem, an ad vitandum scanda-
 lum, liceat interdum non observare præceptum af-
 firmativum. *Nonnulli affirmant*, sed alii melius cum
 S. Doctore *negant*, quia cum observatio præcepti, nec
 sit in se mala, nec mali speciem habeat, si quis ex ea
 scandalizatur, ejusmodi scandalum non est datum,
 sed acceptum: quare nulla est ratio, cur propterea
 quis ab observatione præcepti cessare debeat. *Confir-*
matur, nam si propter scandalum acceptum, obliga-
 tio præcepti cessaret, non tantum possem licite, sed
 etiam deberem ab auditione sacri die fe-
 sto, ut inimicus meus sacro interesset, si ille nollet
 Missam audire, ex hypothesi quod ego assisterem.
 Hoc autem ridiculum esse nemo non videt, cum or-
 do charitatis postulet, ut quisque primò salutis suæ
 sataget, deinde verò de salute proximi sollicitus sit,
 & nulla sit ratio, cur ego sim liber ab obligatione
 præcepti communis, quia alter vult illud violare.

Hinc colligi potest, non debere scēminam abstinere die festo ab auditione sacri, etsi sciat illius occasione aliquem ex malitia peccaturum. Quid autem dicendum sit de operibus consilii, satis explicat S. Thomas ante relatus.

Nota 2. Ex responsione ad 5. Peccatum veniale non esse committendum, ad vitandum aliorum scandalum: quia si in ea circumstantia faciendum esset, jam non esse peccatum, cum peccatum nequeat esse eligibile. *Nec refert* quod per peccatum veniale gratia non tollatur, per quam est homini salus, nam aliunde veniale quatenus disponit ad mortale, vergit in detrimentum salutis. Unde non debet quis committere peccatum veniale, ut alius caveat mortale.

Quæri hic potest, an propter scandalum, temporalia sint dimittenda, S. Thomas *art. 8. Respondet* 1. Bona nobis ad conservandum pro aliis commissa, ut pro Ecclesia, vel Republica non esse propter scandalum dimittenda: quia gravis est obligatio ejusmodi bona, sicut & deposita servandi. 2. Bona quorum sumus Domini, esse dimittenda propter scandalum pusillorum, vel aliter tale scandalum sedandum esse, nempe per aliquam admonitionem. 3. Propter scandalum Phariseorum bona nostra non esse dimittenda, quia hoc noceret bono communi: daretur enim malis rapiendi occasio, & noceret ipsis rapientibus, qui retinendo aliena in peccato remanerent.

Nota 1. Etsi nemo possit alteri, ob vitandum scandalum, donare bona cujus non habet dominium, sed tantum dispensationem; interdum tamen ex communi sententia, differendam esse eorum repetitionem, ut vitetur magnum aliquod scandalum. Unde consequens est, procuratores communitatum graviter peccare contra charitatem, quando specie repetendi bona Ecclesiæ, ab injustis possessoribus, non paucos in gravissimam egestatem injiciunt.

Nota 2.

Nota 2. Neminem teneri per se loquendo, ad vitandum scandalum etiam pusillorum, gravem in propriis bonis temporalibus jacturam facere: quia generatim nullus tenetur impedire peccatum alterius, cum notabili suo incommodo.

RESOLUTIO V. *Interdum est peccatum, ministrare indifferentia ei qui abusus est, aliàs non.*] HOC ita explicari poterit. In primis est peccatum vendere res indifferentes, quibus communiter homines male uti solent, qualia sunt venenum, falsa clavis, &c. nisi moraliter constet, eumentem non male usurum, quod ex conditione personæ aliisve circumstantiis colligi potest. Non tamen est peccatum, vendere res indifferentes, quibus homines bene uti solent, qualia sunt arma; quando non constat eumentem iis male usurum. In priori enim casu censeris cooperari peccato alterius, non in posteriori. Si tamen constat, re indifferenti posterioris istius generis aliquem abusurum, teneris ei non vendere, si id sine gravi tuo incommodo fieri potest: quia vendendo illius peccato cooperaris, ipsique materiam peccandi subministras. Hinc caupones non excusantur, qui sine gravi causa, tempore prohibito vendunt, aut præparant carnes hospitibus, aut qui cibos indifferenter ministrant, jejunium solventibus.

Deinde ad cavendum peccatum, ministrando res indifferentes, parum interest quòd etsi eas non ministrares, proximus alia via esset peccaturus. Nam præterquam quòd interdum certò non potest affirmari, quid in ea hypothese facturus esset; etsi detur eum aliàs peccaturum, hoc est omnino per accidens respectu tuæ cooperationis; quæ non desinit esse mala, licet multi ad similem cooperationem parati sint. Unde peccant caupones sine causa legitima ministrando carnes tempore prohibito, etsi alii supersint, qui ejusmodi cibos porrigere velint.

Præ-

Præterea excusantur famuli à peccato, quando dominis ministrant in rebus ex se indifferentibus, quæ non nisi remotè malo usui subserviunt, qualia sunt deferre munuscula ad concubinam, lectum illius sternere, &c. Inò ex gravi causa licet illis exequi officia, quæ majorem habent connexionem cum peccato, verbi causa, domino per fenestram ascendenti scalam admoveere, peccantem comitari, & custodire ne ab aliquo invadatur. Erit autem gravis causa, si timeant ne ob inobedientiam debita mercede privandi sint, vel domo expellendi, & ad magnam egestatem redigendi. Hæc enim causa censetur sufficiens, ut obsequia in dictis rebus exhibita, per illam honestari possint. *Authores* tamen communiter damnant famulos deferentes litteras, vel ad turpem amorem, vel ad singulare certamen provocantes, quamvis aliqui contentur eos excusare, quia tales litteras scribere, aut deferre non videntur intrinsecè malum, si malus finis absit. Omnes verò fatentur, famulos non excusari, quando ministratio est in re ex se mala, qualis est si ad turpem domini amorem feminam invitent, si in injusto homicidio eam juvent, &c.

Rursus à peccato excusantur, locantes domos meretricibus, quia ex una parte hoc nimis remotum est à peccato, & aliunde qui domum locat, utitur jure suo, nec ratio est cur privatus magis teneatur turpes illas negotiationes impedire, quam ipsa Respublica quæ eas permittit. Vix tamen à scandalo vacat, domos quæ circa Ecclesias, vel monasteria sitæ sunt ejusmodi mulieribus locare. Et idem dico universim de domibus, quas Regulares, vel alii Ecclesiastici possident, ubicunque sitæ sint.

Quæret hic aliquis, an volenti grave peccatum committere, liceat suadere ut committat levius, si aliter à gravi peccato averti non potest, verbi causa, paratus est quis committere adulterium, *adhibet*, an liceat illi consulere fornicationem, ut ita ab adul-

adulterio, quod gravius est peccatum, abstineat. *Respondet* non licere, quia persuadere malum, simpliciter malum est; at fornicationem persuadere, est persuadere malum; ergo etiam ille peccat qui parato committere adulterium, simplicem fornicationem consulit; repugnat enim quod detur consilium licitum, de re illicita.

Notandum tamen, ex communi sententia, non esse illicitum, parato committere grave peccatum, proponere materiam minoris peccati; dummodo id non fiat animo inducendi ad tale peccatum, sed tantum viam ostendendi, qua gravius peccatum vitari potest. Verum in modo tale quid proponendi, magna cautela opus est, ne videatur indirecta minoris peccati approbatio, & inductio ad illud. Unde collige, factum Loth *Genes. 19.* Filias offerentis, ad peccatum sodomiticum avertendum, vel damnandum esse, juxta allatam responsionem, vel juxta subjunctam notationem, excusandum. Nisi dicere malis, eum obtulisse filias, non ea intentione ut Sodomitis abuterentur, sed ut indicaret, quam nefandum esset scelus illud, quo foedari cupiebant; & quanto affectu optabat, ut ab eo temperarent.

